

que prohibuit sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis. Insuper declarando nullis aliis indulgentiis frui posse confraternitates erectas, seu in posterum erigendas sub titulo Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, nisi illis quæ habentur in summario alias Romæ impresso, et ab eadem sacra Congregat. approbato die 31 Jan. 1675.

Quibus per me secretarium Smo dño nostro relatis, Sanctitas Sua sententiam sacrae Congregationis approbavit.

Datum die 22 Decembris 1718.

J. D. C. PARRACCIANUS.

Raphael Cosmus de Hieronymis, sec.

DECRETUM

Quo duo summaria typis impressa, ut contentia nonnullas indulgentias falsas, apocryphas, aut ab apostolica Sede revocatas prohibentur, eorumque usus interdicitur.

(30. Cum sacra Congr., indulgentiis sacrisque reliquiis præposita, re mature perpensa, deprehenderit, nonnullas indulgentias falsas, apocryphas aut ab apostolica Sede revocatas contineri in libello impresso per Carolum Josephum Astorinum an. 1712, Papiæ et Lauda Pompeia cui titulus: «Compendio della regola del terz'Ordine de' Penitenti del serafico padre San Francesco, confermato da Pp. Niccolo IV, nuovamente per comodità de Terziari, e Terziarie, che oggidi si trovano sotto la protezione del medesimo Santo Padre, ristampato ad istanza delli fratelli e sorelle di dett' Ordine, eretto nell'insigne chiesa di S. Francesco di questa città di Lodi, con l'aggiunta d'una breve notizia delle indulgenze, favori, e privilegij più cospicui concessi da' sommi Pontefici a quest' Ordine,» et in quodam summario indulgentiarum edito Ulyssipone an. 1681, typis Antonii Gaesbech de Melo, quod inscribitur: Sommario de Thesauro celestial de las indulgencias, gracias, facultades, et privilegios concedidos per muytos Romanos pontifices ao Sagrado et apostolico Hospital de santo Spirito em Saxia da Cidade de Roma, confirmadas ora novamente pelo sanctissimo Papa Gregor. XIII nosso Senhor: quæ se conceden pelos commissarios, collectores, deputados por este santo Officio a todos e cada hum dos fieis Christiãos que quizerem entrar na sanctissima Confraria de Casa, et Hospital de nossa Senhora da Victoria desta cidade de Lisboa.» Eadem sac. Congr. die 29 Jan. anni 1720, censuit libellum supra enuntiatum, prædictumque summarium prohiberi, illorumque usum interdici debere sub pœnis indice librorum prohibitorum contentis. Quam sac. Congr. sententiam per me secretarium sanctissimo D. N. relatum Sanctitas Sua approbavit die 31 ejusdem mensis.

Datum 14 Februarii 1720.

J. D. CARD. PARRACCIANUS.

Raphael Cosmus de Hieronymis, Sec.

DECRETUM

Quo statuitur, ut pro aggregationibus archi-

confraternitatibus almæ Urbis, seu potius pro illarum expensis nihil ultra unum scutum aureum recipi valeat.

(31. Ad tollendos nonnullos abusos, qui in expediendis litteris patentibus Aggregationum archi-confraternitatibus almæ Urbis, retro actis temporibus irreperant, sac. Congr. Indulgentiarum decreto edito die 6 Martii 1608, approbante san. mem. Paulo V, statuit atque decrevit ut pro expeditione prædictarum litterarum aggregationum seu potius pro expensis desuper faciendis, nempe pro pergamena, scriptura, sigillo, capsulis, chordulis, cera, secretarii, notarii, et labore vel mercede, aliisque omnibus quibuscunque nihil omnino ultra scutum unum aureum pro singula aggregatione, vel confirmatione quovis prætextu, aut colore, etiam meræ eleemosynæ exigi, aut recipi valeat, sub pœna ipso facto incurrenda nullitatis aggregationis, omniumque indulgentiarum, et spiritualium gratiarum in aggregationibus contentarum, cum privatione etiam facultatis aggregandi, et privatione pariter officiorum, et inhabilitate ad eadem officia in posterum obtinenda pro ministris, superioribus, officialibus, aliisque contra prædictum decretum facere præsumptibus, quæ a nullo alio, nisi a Romano pontifice pro tempore existente remitti valeat, aliisque etiam sub gravioribus pœnis arbitrio ejusdem Romani pontificis pro tempore existentis imponendis. Ne autem longo temporis decursu prædicti decreti oblivio induci, ac denuo abusos irrepere possint, sac. Congr. Indulgentiis sacrisque reliquiis præposita, habita die 9 Aprilis 1720, decrevit, atque mandavit singulis ordinibus, religionibus, institutis, et archi-confraternitatibus, eorumque superioribus, ministris, atque officialibus quocunque nomine nuncupatis, ut pro expediendis litteris patentibus aggregationum, seu potius pro illarum expensis quibuscunque nihil ultra unum scutum aureum sub quovis prætextu, aut quæsito colore, etiam a sponte dantibus, aut titulo eleemosynæ recipere audeant, aut recipi permittant sub iisdem pœnis contentis in supra memorato decreto edito die 6 Mart. 1608, ne confraternitates aggregandæ sumptibus nimium graventur, et ut omnes intelligant, celestis Ecclesiæ thesauros non quæstus, aut alicujus lucri causa, sed ad pietatem fidelium excitandam ex apostolicæ sedis benignitate aperiri. Quibus per me secretarium sanctissimo D. N. Clementi XI relatis Sanctitas Sua decretum sac. Congr. approbavit, et in omnibus executioni mandari jussit.

Datum die 10 Aprilis 1720.

J. D. CARD. PARRACCIANUS.

Raphael Cosmus de Hieronymis, secr.

Ut omnis tollatur occasio evulgandi indulgentias falsas, seu apocryphas, debent episcopi antequam eas permittant, diligentissime et accuratissime examinare, cum ad ipsos privative spectet recognitio brevium Indulgentiarum, quæ de novo per papam

conceduntur. Nec aliquis sine eorum licentia, vel auctoritate potest illa brevia seu illas indulgentias publicare, non obstante quacunque exemptione, et prætensa consuetudine in contrarium etiamsi pro regularium Ecclesiis concedantur, ut a sac. Congr. Conc. c. 9, sess. 21 de Reformat., decisum fuit apud Monacell. t. II, tit. 10, formul. 6, n. 8, et in una sancti Severini 30 Maii 1699 et 4 Febr. 1702; apud Petram, tom. V, comment. ad Constit. 4 Calisti III. n. 96, et ita declaravit quoque sac. Congr. Imm. in Firmana 12 Julii 1703, lib. III decret. Vallem., pag. 494. his verbis: «Quoad consuetudinem assertam memorabilem in civitate Firmi, et aliorum in Piceno publicandi per magistratum laicum brevia indulgentiarum absque licentia seu participatione tribunalis ecclesiastici, sac. Congr. decrevit, ministros laicos, quoad præteritum non esse amplius molestandos, sed quoad futurum non licere sine licentia ordinariarum, et omnino abstineant.» Sic apud D. Petrum Andr. Riccium in sua Synopsi decr. sac. Congregat. Immunit. in verb. *Indulgentiæ*, quod decretum citat etiam Monacell. l. c. n. 8.

ARTICULUS V.

Indulgentia quoad ea quæ concernunt indulgentias concessas tribus sanct. Ordinibus S. P. N. Francisci eorumque ecclesiis, benefactoribus, et confraternitati chordigerorum.

(1. Leo X, summus pontifex, concessit omnibus Fratibus Minoribus regularis observantiæ monialibus S. Claræ, et Tertii Ordinis, quod dicendo quinque *Pater noster* cum *Ave, Maria*, et, in fine cujuslibet, *Gloria Patri* ad intentionem pontificis, et aliud *Pater*, et *Ave, Maria*, et *Gloria Patri* pro indulgentias concedente, lucrentur indulgentias omnes, tam plenarias, quam non plenarias concessas ecclesiis Romanis, Hierosolymitanis, Compostellanis, et Portiunculæ quacunque hora diei, vel noctis prædicta 6 *Pater noster*, *Ave, Maria*, et *Gloria Patri* recitaverint; ita Casarubios, in Compendio nostrorum privilegiorum, verb. *Indulgentiæ stationum* § 15; P. Rodriguez, in nova Collatione bullarii fol. 318, num. 24; Lantusea in libro Regulæ Tertii Ordinis S. P. N. Francisci Romæ edito, et approbato a reverendissimo P. Hyacintho Libello Ordinis Prædicatorum sacri palatii apostolici magistro anno 1665, 11 Mart.; Kazenberger, loc. cit., num. 88; Viva in Appendice indulgentiarum § 3, ubi testatur hoc etiam haberi in Compendio privilegiorum Societatis § 3, et alii plures.

(2. Istæ indulgentiæ non fuerunt revocatæ a Paulo V, quia Paulus V non revocavit indulgentias regularium ecclesiis concessas, seu locales, sed solum personales, ut sac. Cong. declaravit 7 Septembr. 1607, apud Vivam in Appendice indulgentiarum § 1, n. 6. Nec revocavit indulgentias pro animabus purgatorii regularibus concessas, ut idemmet pontifex 23 Februar. 1609 testatus

est, sicut ex Gobat. Pelliz. Quintanadv. et Diana refert Viva in cit. Append. n. 6. Nec etiam revocavit pro regularibus indulgentias concessas pro omnibus Christi fidelibus indiscriminatim, ut pro certo tenent doctores communiter cum Gobat., tract. 4 de Indulg. part. II, cap. 27; Kazenb., loc. cit., n. 77; Viva in cit. Append. Indulgentiarum n. 6, cum Peyrino, Lezana, Quintanadven. et alii. Unde cum prædictæ stationum indulgentiæ non fuerint primitus concessæ personis regularibus, sed certis ecclesiis et locis, et indiscriminatim pro omnibus Christi fidelibus, et ipsarum multæ fuerint concessæ etiam pro animabus purgatorii, sequitur quod tales indulgentiæ non fuerint revocatæ, et adhuc possint eas lucrari regulares privilegiarii; siquidem in hoc casu summus pontifex solum dispensavit in modo lucrandi prædictas indulgentias, videlicet, ut prædictæ personæ absque eo quod se Hierosolymam, Romam, Compostellam et Portiunculam conferrent, et ibidem personaliter ecclesias, seu loca visitarent, præfatas indulgentias lucrari possent visitando proprias ecclesias, et ibi recitando prædicta 6 *Pater noster*, *Ave, Maria*, et *Gloria Patri*, sicut Romæ etiam sæculares lucrantur indulgentias visitantes ecclesias stationum. Hinc cum hujusmodi concessio non sit revera indulgentia, eo quod solum spectet ad modum lucrandi indulgentias; ideo in revocatione illa indulgentiarum facta a Paulo V non intelligitur revocatum hoc indultum, atque adeo tales indulgentiæ possunt adhuc obtineri a regularibus privilegiariis; Lantusea loc. cit.; Kazenb. loc. cit. n. 88; Fr. Joan. a Conceptione c. 6; P. Antonius Natalis in celestibus Aurifodinis cap. 6, num. 43; Rodriquez tit. 2, q. 84, art. 7; Viva in cit. Appendice indulgent. § 1, sub num. 6, et § 3, verb. *Leo X*, et alii passim.

(3. Hoc authentice confirmatur ex rubricis particularibus nostri Breviarii Franciscani novissimi confirmatis ab Innoc. XII, quæ num. 88 sic habent: «Circa stationem sanctissimi sacramenti ex sex *Pater noster* et *Ave, Maria*, cum totidem *Gloria Patri*, etc., coalescentem quotidie, et præsertim die Sabbati observandum est statutum Julii III, cap. 5, sic decernens: In omnibus etiam conventibus statim post *Ave, Maria*, fratres omnes ad ecclesiam vadant, et ante sanctissimum sacramentum dicant brachiis extensis sex *Pater noster* et totidem *Ave, Maria*, et *Gloria Patri*: ultimum pro eodem sanctissimo domino nostro papa pro lucranda indulgentia plenaria; et num. 89 cui statuto consonat omnino aliud hujus tenoris: Et quia indulgentiæ stationis sanctissimi sacramenti revocatæ non sunt (ipsius recitatio quotidiana omnibus tam fratribus, quam monialibus, et tertiariis sæcularibus enixe commendatur), quod adest insertum, et specificè confirmatum in Brevi, cujus initium: *Debitum Pastoralis*, a sanctissimo domino nostro Innocentio XII, die 19 Maii 1694, benigne concesso;» Hucusque Rubricæ nostri Franciscani Breviarii, n. 88 et 89;

4. Unde ista indulgentia obtinuit nomenclaturam stationis sanctissimi Sacramenti, quia acquiritur recitando prædicta sex *Pater noster*, *Ave Maria*, et *Gloria Patri*, ante venerabile Altaris Sacramentum juxta adductas rubricas, et primam concessionem Leonis X apud Casarubios in Compendio privilegiorum verb. *Indulgentiæ Stationum*, num. 11, ibi: *Coram Sacramento Altaris*, et juxta concessionem Pauli V, ab Urbano VIII confirmatam, apud Hieronymum Rodriguez in Compendio resolut. 47; Quintanadven. in Appendice, tract. 4, dub. 2, num. 7; Antonium a Spiritu Sancto, num. 22; Antonium Natalem loc. cit., cap. 9; Vivam in cit. Appendice Indulgentiarum, § 3, verb. *Leo X*, et alios passim. Videatur præ cæteris P. Minderer, qui P. II, confer. 7, num. 404 et seqq. et num. 438, has indulgentias stationis SS. Sacramenti ad examen revocat atque defendit.

5. Potest tamen adhuc secundum plurimos non spernendos doctores acquiri talis cumulus indulgentiarum a regularibus privilegiariis, etiamsi prædicta sex *Pater noster*, *Ave Maria*, et *Gloria Patri*, recitent extra ecclesiam in propriis cellis, et in quocunque alio loco, quacunque hora diei vel noctis, ut concessit Leo X apud Casarubios loco cit., num. 15, ibi: « Idem Leo concessit omnibus Fratibus Minoribus Regularis Observantiæ, ac Monialibus S. Claræ et Tertii Ordinis, quod dicendo quinquies *Pater noster* cum *Ave Maria*, et in fine cujuslibet *Gloria Patri*, et pro sanctitate sua unum *Pater noster* cum *Ave Maria*, similiter cum *Gloria Patri*, lucrentur stationes, indulgentias, et remissiones tam Urbis quam etiam Portiunculæ, sive Hierusalem, ac Sancti Jacobi in Compostella, et quod quacunque hora diei vel noctis, et quocunque in loco dicant, scilicet choro, ecclesia, claustro, oratorio, ac cella, lucrentur illas. » Et quod tales indulgentias lucrentur quotidie regulares privilegiarii, ubicunque recitent dictas orationes, referunt de novo id concessisse etiam Paulum III Summum Pontificem, Rodriguez, tom. II, qu. 84, art. 7, et ex ipso Viva, l. c., § 1, num. 6 et § 3, vers. *Leo X*; et hoc tenent plurimi alii, et passim scribentes in regula Tertii Ordinis plurimis in locis, etiam de recenti impressa dicentes quod qui recitant supradictas orationes ante sanctissimum Altaris Sacramentum lucrentur indulgentias supradictarum Stationum ex tribus concessionibus, scilicet Leonis X, Pauli III, et Urbani VIII. (6. Qui vero illas recitant in aliis locis lucrentur tales indulgentias ex duabus concessionibus, scilicet Leonis X et Pauli III. Nec ad ipsas indulgentias lucrandas requiritur modo, ut prædicta sex *Pater noster*, *Ave Maria*, et *Gloria Patri*, recitentur brachiis extensis, ut ex multis notat Kilianus, Kazenberger l. c., n. 90.

7. Quot autem et quam maximæ sint indulgentiæ Stationum Urbis, habes supra art. anteced., n. 17; et P. Antonius Natalis in suo Purgatorio, cap. 9, relatus et secutus a Viva in cit. Appendice Indulgentiarum, § 1, num. 8,

dicat indulgentias plenarias Romæ variis ecclesiis concessas esse quotidie ad minimum octo et triginta, easque per modum suffragii applicabiles pro defunctis; ac præterea extraordinarias esse singulis mensibus plurimas alias, nempe mense Jan. 63, Febr. 41, Mart. 55, Apr. 24, Maii, 44, Jun. 22, Jul. 52, Aug. 145, Sept. 58, Octob. 3, Nov. 59, Dec. 103. Non plenariæ vero sunt innumerabiles, eæque pariter per modum suffragii pro defunctis applicabiles, et P. Natalis loc. cit. recenset plurimas quotidianas; et quas solum recenset ascendunt ad bis centum, ac ter mille nongentos tres annos, ac centum septuaginta millia sexcentum quadragenarum, et undecies habetur remissio tertiæ partis peccatorum, sic ex ipso Viva loc. cit., num. 8.

8. Indulgentiæ Terræ Sanctæ tum plenariæ tum non plenariæ recensentur in Familiari regularium a P. F. Joseph a Neapoli, edito Neapol. 1706, ubi fol. 319 tenore sequenti reperiuntur.

Indulgentiæ plenariæ Terræ Sanctæ.

In ecclesia S. Sepulcri, ubi Dominus Noster Jesus Christus triduo jacuit, est indulgentia liberationis unius animæ a pœna et culpa.

In loco ubi fuit inventa crux Dominica una cum clavis quibus in illa fuit confixus, est indulgentia plenaria.

In domo Pilati, ubi Dominus noster fuit flagellatus, et spinis coronatus, ac morti adjudicatus, est indulgentia plenaria.

In domo Herodis, ubi Christus fuit illusus et veste alba indutus, est indulgentia plenaria.

In ecclesia S. Annæ, ubi nata est B. Virgo Maria, indulgentia plenaria.

In Templo, ubi ead. B. Virgo fuit præsentata et postea desponsata, est indulgentia plenaria.

In porta quæ denominatur Aurea, per quam Christus ingressus est Dominica Palmarum, indulgentia plenaria.

In ecclesia ubi est sepulcrum B. Virginis, in quo aliquandiu jacuit, indulgentia plenaria.

In ecclesia quæ est in loco ex quo Christus ascendit visibiliter in cœlum, indulgentia plenaria.

In ecclesia ubi antiquitus fuit domus habitationis B. Virginis, indulgentia plenaria.

In Cœnaculo, ubi fuit institutum Sacramentum Altaris, etc., indulgentia plenaria.

In ecclesia, ubi juxta præsepe natus est Salvator mundi, indulgentia plenaria.

In monte Calvario, ubi Christus crucifixus est, indulgentia plenaria.

In Bethania, ubi est sepulcrum Lazari, a quo fuit ressuscitatus per Christum, indulgentia plenaria.

In monte seu deserto in quo Christus jejunavit quadraginta diebus, indulgentia plenaria.

Apud fluvium Jordanis in loco ubi Christus baptizatus est, indulgentia plenaria.

In Nazareth, in loco ubi fuit salutata ab angelo B. Virgo, indulgentia plenaria.

In ecclesia ubi fuit domus S. Elisabeth, et ubi natus est S. Joannes Baptista, indulgentia plenaria.

In loco ubi Christus parvulus natus et pannis mundis involutus est, indulgentia plenaria.

In altari ubi Christus fuit circumcensus, indulgentia plenaria.

In monte Thabor, ubi Christus transfiguratus est, indulgentia plenaria.

Infra ecclesiam montis Sion, ubi sunt sepulcra regum Juda et aliorum prophetarum, indulgentia plenaria.

Ultra supradictas plenarias indulgentias, sunt multæ aliæ indulgentiæ annorum et quadragenarum in diversis locis Terræ Sanctæ, et primo in Hierusalem.

In introitu civitatis Hierusalem consequuntur peregrini qui ingrediuntur per portam civitatis quadraginta annos et totidem quadragenas remissionis.

In horto ubi Dominus post resurrectionem apparuit Magdalene in specie hortulani, sunt sexcenti anni et tot quadragenæ remissionis.

In loco ubi idem Dominus apparuit post resurrectionem suæ Matri, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

Ubi fuit super vestem Christi missa sors, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In domo Annæ, ubi fuit alaphizatus Christus, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

Item in loco ubi angariaverunt Simonem Cyrenæum ut portaret crucem Christi, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In quodam loco ubi Dominus Jesus prædicabat, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In cœnaculo, ubi Dominus lavit pedes discipulorum suorum, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

Ibidem in loco ubi post resurrectionem intravit januis clausis et apparuit Apostolis, sunt etiam septem anni et totidem quadragenæ.

In via ubi apparuit Dominus tribus Mariis redeuntibus a sepulcro, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In loco ubi Dominus conversus ad mulieres lamentantes super eum dixit: *Nolite flere super me*, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In loco qui dicitur Spasmus B. Virginis, ubi, videns Christum bajulantem crucem, cecidit velut mortua, sunt etiam septem anni et totidem quadragenæ.

Itidem in loco ubi sunt duæ petrae albæ super quas sedit Christus lassatus ex pondere crucis, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In torrente Cedron, ubi erat lignum ex quo facta fuit crux, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In horto ubi oravit tribus vicibus et sudavit sanguinem, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In loco ubi Dominus illuminavit cæcum,

FERRAR. IV,

sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In domo Simeonis, qui accipiens Christum in ulnas dixit: *Nunc dimittis servum tuum*, etc., sunt septem anni et septem quadragenæ.

In agro empto ex pretio sanguinis Christi, qui dicitur Acedama, sunt septem anni et septem quadragenæ. Alias triginta anni et totidem quadragenæ.

In ecclesia quæ fuit domus in qua habitavit B. Virgo post ascensionem Christi, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In capella ubi S. Joannes Evangelista celebravit Missam B. Virginis post ascensionem Filii sui, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In oratorio ubi B. Virgo faciebat orationem, sunt septem anni et septem quadragenæ.

Item in loco qui appellatur Palma B. Virginis, sunt quadraginta anni et totidem quadragenæ.

Item in loco ubi Judæi voluerunt arguere Christum propter sua opera, sunt septem anni et septem quadragenæ.

Juxta lapidem quemdam ubi fertur quod Dominus sanavit multos infirmos, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In specu subterranea ubi Petrus post trigram negationem fecit penitentiam, sunt indulgentiæ quadraginta annorum et totidem quadragenarum.

In turri David, quæ fertur se inclinasse Christo ab ea descendenti, sunt decem anni et totidem quadragenæ.

In loco ubi decollatus est Jacob Zebedæus, sunt triginta anni, et totidem quadragenæ.

Secundo, apud civitatem Bethleem sunt sequentes

In domo ubi tres Magi Orientales invenerunt et adoraverunt Christum puerum, sunt septem anni et totidem quadragenæ remissionis.

In loco ubi disparuit eis stella quam viderant in Oriente, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In quadam capella ubi sunt sepulcra SS. Innocentium, sunt etiam septem anni et septem quadragenæ.

Item in quadam ecclesia intitulata *B. Virgini*, ubi angeli ei apparuerunt et insinuarunt viam Ægypti, ut illuc fugeret cum puero suo Jesu, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In loco ubi angeli apparuerunt pastoribus et cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo*, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

Tertio, apud Bethaniam sunt istæ pauca.

In domo Simonis Pharisæi, ubi Christus pepercit Magdalene sua peccata, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In domo ubi ante sex dies Paschæ fecerunt ei cœnam, et Magdalena attulit alabastrum unguenti et cætera, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In domo S. Marthæ sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In domo Magdalene totidem.

Quarto, in monte Oliveti et circumcirca reperiuntur sequentes.

Apud Bethphage, ubi Dominus ascendit super asinam in die Palmarum, sunt quindecim anni et totidem quadragenæ.

In via seu loco ubi Dominus videns civitatem Hierusalem flevit super eam, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In loco ubi angelus præsentavit Virgini palmam ante suam mortem, sunt septem anni et septem quadragenæ.

Ibidem in viculo Bethphage, ubi Apostoli composuerunt Symbolum, sunt septem anni et septem quadragenæ.

Item in loco ubi Dominus docuit Apostolos orare et composuit *Pater noster*, sunt septem anni et septem quadragenæ.

Quinto, in vallibus Josaphat et Siloe habentur infrascriptæ.

In loco ubi Dominus fuit captus et ligatus in nocte passionis, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In loco ubi S. Stephanus fuit lapidatus, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In loco ubi fuit sepultus idem S. Stephanus a Gamaliele, sunt totidem anni et quadragenæ.

In loco ubi Dominus in nocte passionis dimisit octo discipulos, assumpsit tres, scilicet Petrum, etc., sunt etiam septem anni et totidem quadragenæ.

In valle Siloe dicitur esse quidam fons in quo B. Virgo lavabat pannos pueri Jesu quando cum eo existente parvulo ascendebat in Hierusalem ad Templum, et ibi sunt septem anni et septem quadragenæ.

In natatoria Siloe, quo misit Christus cæcum ut lavaretur et illuminaretur, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

Sexto, apud civitatem Nazareth sunt hæc.

In domo S. Joachim patris B. Virginis, ubi est quoddam monasterium, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

Juxta fontem ex quo fertur quod Jesus Dominus noster cum esset parvulus deferebat aquam Matri suæ, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

Item in domo ubi dicitur fuisse schola in qua B. Virgo didicit litteras, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In domo ubi nati sunt Jacobus Major et Joannes Evangelista, sunt decem anni et triginta quadragenæ.

Septimo, in montanis Judææ sunt istæ.

In domo Zachariæ patris Joannis Baptistæ, ubi B. Virgo salutavit Elisabeth, sunt septem anni et septem quadragenæ.

Item ibidem, ubi dixit Zacharias: *Joannes est nomen ejus*, et composuit canticum *Benedictus*, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In eisdem montanis, ultra fluvium Jor-

danis, est quoddam monasterium ubi est quædam pars Crucis christi, et sunt etiam septem anni totidemque quadragenæ indulgentiæ.

Ibidem est aliud monasterium S. Joannis Baptistæ, ubi septem anni et totidem quadragenæ.

In deserto ubi S. Joannes fecit pœnitentiam, sunt septem anni et totidem quadragenæ remissionis.

Octavo, apud vallem Hebron sunt sequentes.

In campo Damasceno, ubi ex limo terræ formavit Deus primum hominem, dicuntur esse decem anni et quindecim quadragenæ indulgentiæ.

In loco ubi sepultus est Adam primus homo, sunt septem anni et totidem quadragenæ.

In eadem valle, in spelunca ubi sepulti sunt Abraham, Isaac, et Jacob, sunt septem anni et septem quadragenæ.

Ubi dicitur nata fuisse arbor crucis, sunt viginti anni et totidem quadragenæ.

Nono, apud Galilæam.

In loco Galilææ ubi Dominus complens promissum suum apparuit Apostolis, sunt septem anni et septem quadragenæ.

In monte quo diabolus tentans Christum duxit eum in locum excelsum, etc., sunt septem anni et septem quadragenæ.

D. Defendens Brusatus, Vic. Gen.

(9. Omnes supradictæ indulgentiæ non plenariæ cum aliis non plenariis Compostellæ et Portiunculæ pluries eodem die obtineri possunt, si pluries iteratur recitatio dictarum orationum, scilicet *sex Pater noster, Ave Maria, et Gloria Patri*, etc. Idemque dicendum est de supradictis plenariis cum aliis plenariis Compostellæ et Portiunculæ, quatenus pro defunctis applicabiles. Et ratio est quia decretum Innocentii XI incipit *De lata sæpius*, adductum supra art. antecedenti, n. 15, quo sancitur neminem lucrari posse pluries eodem die plenariam indulgentiam cum non exprimat indulgentias pro defunctis applicabiles, non videtur eas comprehendere; nam, sicut in concessione alicujus indulgentiæ non intelligitur quod ea sit pro defunctis applicabilis nisi exprimat, ut communiter docent doctores cum Lezana verb. *Indulg.*, n. 24; Suar., disp. 35, sect. 1; Viva, loc. cit., § 1, sub. num. 1; Molfes, et alii, ex D. Thoma in 3, dist. 45, q. 2, art. 3, quæst. 2; ita a fortiori in revocatione indulgentiarum non intelliguntur illæ revocatæ pro defunctis nisi etiam exprimat, ut patet ex revocatione facta a Paulo V in cit. constit. incip. *Romanus Pontifex*, ubi, ex quo non expressit se revocare etiam indulgentias defunctis applicabiles, ipsemet sub die 23 Februarii 1609, ut diximus supra num. 2, testatus est non revocasse illas indulgentias, quæ pro defunctis poterant a regularibus applicari.

(10. Fratres et Sorores de ordine Minorum, et consequenter Tertiarii et Chordi-

geri recitando coronam B. M. V. ex 72 *Ave Maria* et 7 *Pater noster*, cum adhuc uno *Pater* et *Ave* pro Summo Pontifice, lucrantur indulgentiam plenariam sibi inprimis concessam a Leone X, quam Paulus V, post generalem indulgentiarum regularibus concessarum revocationem, de novo concessit 8 Junii 1608, ad instantiam P. Ludovici a S. Joanne Evangelista, commissario generali ultramontanæ familiæ Minorum de Observantia, ut referunt Lantusca in Theatr. Regular. verb. *Indulgentia*, num. 3; Kazenberger, loco cit., num. 91; Portell. Sgo-bar, Sanig, Peyrin., Rodriguez, Bordon, Quintanadven., et alii passim, et demum confirmavit Innocentius XI. Quod certum esse patet ex rubricis particularibus nostri Breviarii Franciscani novissime confirmatis ab Innocentio XII, quæ n. 90 ita habent: *Sabbato præsertim, et singulis aliis hebdomadæ diebus privatim recitanda est a nostratibus ex devotione Corona beatæ Virginis Mariæ Domine nostræ, approbata a san. mem. Leone X in brevi Exponi nobis, die 14 Septembris 1517 concessa, et per aliud ejusdem Pontificis breve quod incipit: Dum præexcelsa, die 19 Junii 1515 ea indulgentia decorata, quam Paulus V post generalem indulgentiarum revocationem benigne innovavit, et recol. mem. Innocentius XI per suas etiam in forma Brevis Litteras similiter incipientes: Exponi nobis, die 15 Maii 1688, firmam esse voluit atque sancivit.*

(11. Item Fratres Minores et alii regulares ex concessione Julii II et Leonis X, quoties recitant Coronam Domini Nostri Jesu Christi ex triginta tribus *Pater* et totidem *Ave Maria* in honorem annorum quibus inter mortales vixit Christus Dominus, aut septem psalmos pœnitentiales, aut graduales, aut officium defunctorum, lucrantur indulgentiam plenariam pro animabus purgatorii. Et Leo X pariter pro hac Corona concessit Minoribus plenariam indulgentiam sibi ipsis applicandam; quam tamen Paulus V revocavit. Sed Peyrinus, Rodriguez, Bordon, qu. 3, num. 18, et Quintanadv. in Append. ad Jubil. tom. IV, dub. 4, n. 7, cum Viva Append. Indulgentiarum passim acquisibilitium, § 3, asserunt illam Minoribus ab eodem Paulo V restitutam esse. Unde ab omnibus privilegiatis regularibus obtineri poterit. Et hanc plenariam indulgentiam ægroti et senes decrepiti obtinent, si pro ea recitent unum psalmum vel hymnum beatæ Virginis vel Domini Nostri, ex concessione Leonis X. apud Casarub. in Compend. Privileg. vel Indulgentiæ Plenariæ quoad Fratres, n. 13. Et sic tenent supracitati doctores, et alii plures. Imo Portell. et Rosighinus in templo Salomonis apud P. Antonium Natalem, cap. 9, testantur illam omnibus Christifidelibus concessisse eundem Paulum V, ut constat ex authenticis Romæ impressis anno 1609. Sic expresse sapientissimus P. Viva loc. cit.

(12. Fratres Minores, Clarissæ, et Tertiarii possunt applicare per modum suffragii omnes indulgentias et opera meritoria ani-

mabus purgatorii ex concessione Gregorii XV per suum breve sub die 10 novembris 1622. (13. Sacerdotes Fratrum Minorum ex concessione Leonis X, celebrando tres missas in altari sibi assignato a suis superioribus, liberant animam suorum parentum in primo, secundo, et tertio gradu, a pœnis purgatorii, sicuti si celebrarent super altare S. Gregorii et S. Sebastiani Romæ. Sic refert Peyrin. in Const. 8 Pauli V, n. 6, pag. 252, et alii. (14. Fratres Minores sacerdotes ex concessione Innoc. VIII, celebrando diebus dominicis et in solemnitatibus D. N. J. Christi et B. M. V., et illi qui non sunt sacerdotes, quoties communicaverint, lucrantur indulgentiam plenariam pro defunctis, sed non pro se ipsis, cum fuerit revocata a Paulo V. Sic refert Peyrin. in cit. Constit., § 9, num. 8, pag. 252, et alii. (15. Fratres Minores alique regulares, ex concessione Clementis VIII, in casu mortis alicujus ipsorum, aut patris, aut matris, aut alicujus habentis filiantiam, seu suffragia aut soliti in domo sua hospitare fratres, possunt unica missa per modum suffragii ipsum liberare a pœnis purgatorii. Sic refert Peyrinus in Constitut. 6. Clem. VIII, n. 2, pag. 234, et alii.

(16. Fratres Minores Regularis Observantiæ docentes doctrinam Christianam, et eisdem in hoc opere cooperantes, lucrantur eximias indulgentias concessas ab Innocentio XI 20 Maii 1686, constitutione incip. *Pietatis*, quæ ut ab omnibus præ oculis habeatur, hic ad litteram datur.

INNOCENTIUS PAPA XI, ETC.

Pietatis ac Christianæ charitatis opera ubique locorum cum divini cultus incremento exerceri cupientes, Christifideles quoscunque, præsertim sub suavi religionis jugo, Altissimo famulantes, et ut ad illa exercenda promptiores reddantur indulgentiis et peccatorum remissionibus invitamus, prout ad Christianam religionem propagandam et animarum salutem procurandam conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque (sicut accepimus) dilecti filii fratres ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, inter pia quæ exercent opera, etiam adultos et pueros quoscunque per universum Christianum orbem, catholicæ fidei rudimenta et Christianas virtutes omnes recte doceant; nos pro nostri pastoralis officii munere, hoc pium Christianæque reipublicæ necessarium opus, ex quo hactenus uberrimi fructus provenire ac multo uberiores post hæc ex eo proventuros speramus, confovere volentes, ut eorundem fratrum devotio ad dictum opus exercendum in dies magis augeatur, de omnipotentis Dei misericordia ac B. Petri et Pauli, apostolor. ejus, auctoritate confisi, supplicationibus etiam dilecti filii Francisci Diaz a Sancto Bonaventura, commissarii generalis curiæ pro Ultramontana familia dicti ordinis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis dicti ordinis fratribus et aliis universis Christifidelibus, ubivis locorum existentibus, ac cum iisdem fratribus ad infra-